



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 57. Lusitani Theologi Regii Sententia circa hosce sex articulos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LVII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.Lusitani Theologi Regii sententia circa  
hocce sex articulos.

Absoluta Salmeronis oratione ceteri *Sarpus l. 65*  
Theologi suas quisque sententias *pag. 593.*

exponebant, atque inter eos Jacobus Payva de Andrada Lusitani Regis Theologus hæc proferebat: „Christus Dominus, & præcepto, & exemplo declaravit, speciem panis omnibus fidelibus, Calicem vero solis Sacerdotibus concedendum; ipse enim panem consecrato dedit eum Apostolis, cum adhuc essent laici, & universum populum repræsentarent, addito mandato, ut de eo comederent omnes: dein vero Apostolos ordinavit Sacerdotes, his verbis, *hoc facite in mei commemorationem*: ac tandem consecravit calicem, & eisdem jam in Sacerdotes consecratis porrexit. Verum Patres hoc Jacobi argumentum haud magni habebant, prout reipsa exiguam considerationem meretur: alii vero Doctores diversa proponebant argumenta, quæ tamen omnia in id collimabant, ut communionem sub duplici specie pro laicis a Christo Domino minime præceptam, proin nec etiam necessariam esse comprobarent.

Postea Antonius Mandulphus ex Ordine Fratrum Eremitarum sancti Au-

H 5

gusti-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

gustini, Archiepiscopi Pragensis Theologus hæc assererat: „in hoc idem sententio cum aliis, nullum esse præceptum „divinum, atque attendenda duntaxat lege „divina non magis Ecclesiæ doctrinæ „adversari, si laicis calicis usus denegatur, ac si illis indulgeatur, quapropter arbitror, ejusmodi argumenta in „eum modum concludentia esse segreganda, perinde ac illud de Discipulis „in Emaus, & de D. Paulo in navigio, „cum ex iis posset colligi, quod non „sit sacrilegium, unam speciem absque „altera consecrare, cum tamen id menti „omnium Doctorum, & sensui Ecclesiæ „repugnet, simulque illam de Eucharistia distinctionem, quæ eandem & „Sacramentum, & Sacrificium declarat, omnino enervet: constat insuper „ex Ordinario, ut vocant, Romano, quod „detur distinctio communionis in laicam, & clericalem, inde autem clare „patet, quod discrimen inter utramque „non nisi a variis in Ecclesia gradibus, „non autem a Sacramenti accepti diversitate oriatur: præter hæc ex eadem „ratione potest colligi, non solos celebrantes Sacerdotes, sed universum „clerum calicis esse participes. Ceterum de auctoritate Ecclesiæ in mutandis rebus accidentalibus Sacramentorum minime quidem est ambigendum,

„dum, nec tamen hisce temporibus dis-  
 „ceptandum, utrum calicis usus sit res  
 „accidentalis, an substantialis: hinc  
 „concludo, quod articulus hic commode  
 „possit omitti, quippe a Constantiensi  
 „Concilio jam antea definitus: quartum  
 „vero, ac quintum accurate tractan-  
 „dos censeo, siquidem calice tot natio-  
 „nibus, quot eum flagitant, concessio,  
 „aliæ omnes disceptationes supervaca-  
 „neæ, immo perniciosæ forent., In  
 eandem Sententiam pariter abibat F.  
 Joannes Paulus Episcopi quinqueecle-  
 siensis Theologus, ac Fratrum Eremitarum  
 D. Augustini Alumnus.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1562.

§. LVIII.

*Quidam Servita suam sententiam re-  
 vocare compulsus.*

Denique Frater Amans Ordinis Ser-  
 vorum B. V. alumnus, ac Sebe-  
 census in Dalmatia Episcopi Theologus,  
 cum sibi singulari opinione famam emen-  
 dicare niteretur, Cajetani doctrinam  
 allegans inquiebat, quod Sanguis non  
 fit pars humanæ naturæ, sed primum  
 duntaxat illius alimentum, nec dici  
 possit, quod corpus suum nutrimentum  
 in concomitantiam trahat: porro inde  
 inferebat, istud, quod sub utraque spe-  
 cie continetur, non omnino esse idem  
 cum altero: insuper addebat, quod  
 San-

Sarpus l. 6.  
 pag. 505.  
 Pallav. l. 17.  
 c. 6. n. 9.